

X L I I .

Z H T H M A T A ,  
verbum DEI scriptum & præ-  
dicatum respicientia , ejusdemq;  
essentiam & actiones inquirentia ;

Omnibus Christi Jesu Servato-  
ris nostri Evangelium profi-  
cientibus servis ,

Ue.

Fraternè & Amicè suam hic ferant  
sententiam .

â

QVODAM VERITATIS AMATORE  
proposita .



FRANCOFURTI ,

Exscribēbat LUCAS JENNIS , 1626 .

105EET

164



1. 264025

N verbum DEI ( quod non est esse ntiale Patri, sed istud significat & revelat ) Ens creatum sit, vel increatum, simplex vel compositum, vel ex aggregatione plurium.

2. Si verbum hoc est increatum, Quæritur, an substantia sit vel accidens extra DEUM, vel in DEO ab æterno existens.

3. Si verò verbum hoc creatum substantia afferendum, quæritur ubi per se, & non in alio, subsistat.

Quod si id, de quo agitur, Accidens creatum pronunciam-  
dum erit, quæritur, in quo illud sit prædicamento? an in præ-  
dicamento Qualitatis vel Relationis &c.

4. Verbum hoc si vñp̄ seu conceptus mentis afferendum,  
quæritur, an ab æterno in mente divinâ tanquam accidens  
creatum existat, vel potius divinâ operatione à & in mente  
humanâ, in quâ manet, producatur & efficiatur.

5. Si verbum hoc vñp̄ & conceptus Menti, an conceptus  
hic aliud verum, proprium & adæquatum subjectum in quo ha-  
beat, præterquam Mente in.

6. Si vñp̄ hoc nullum aliud proprium subjectum habet  
præterquam intellectum, an propriè dicatur vñp̄ hoc libris  
Propheticis & Evangelicis inhæsive contineri & incisse.

7. An aliud quid in libris sit præter SIGNA.

8. An sententiaz scripturarū, sive historicæ, sive legales, sive  
Evangelicæ, aliud in suâ essentiâ, quâ tales, comprehendant,  
quâM VIM SIGNIFICANDI suum objectum. Tostatus  
I. Reg. I. VERBA, inquit, non possunt poni tanquam principia  
EFFECTIVA; Benè tamen tanquam SIGNA. Nullum  
enim verbum est, quod secundum SE Ipsum aliquam habeat  
virtutem ad efficiendum, etiam si sint verba Sacramentalia.  
Nam ipsa verba SECUNDUM SE in nullo Sacramento ali-  
quid conferunt, sed quia Ministri illa proferunt, DEVIS confert  
gratiam Sacramentalē, vel EFFICIT, quicquid fieri debet,  
& hoc tām in Sacramento Eucharistiz, quam in cæteris.

9. An

9. An non Essentia sententiarum & dictorum consistat in declaratione & manifestacione objectorum. Exempli gratia Marc. 16. v. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, An non hoc dictum ostendat & urgeat fidem & baptismum, quo per fidem assumto, sequitur Salus credentem; vel, an adhuc alia virtus efficiens hisce verbis in suā essentiā consideratis insit, & ubi permanenter insit.

10. Cum verba & dictiones sint distinctæ in sententijs, ut ut sint partes sententiarum, & sententia vel dictum unum ab altero distinguatur, an VIRTUS convertens hominem in se quoq; distincta sit juxta sententiarum seu dictorum distinctionem.

11. Cum virtus convertens sit Spiritui Sancto essentialis, quomodo possit esse essentialis scripturarum dictis & sententijs, quæ solum ὄχημα & vehiculum Spiritus Sancti statuuntur?

12. Quod aliquis auditorum salutariter moveretur verbis prolatis, an non hoc inde, quod ipsum objectum per verba significatum, puta Christum fide apprehendat; alius vero quod non salutariter moveretur, ex eo proveniat, quod objectum per verba significatum contemnat.

13. An in hominis non renati sit potestate verbis Evangelij auditus credere, nō tantum illa vera esse, quod est historicæ, sed & applicare sibi Christi beneficia, quod est salvificæ fidei; de quo postea pluribus.

14. An non Verbum DEI, cum non scribi, praedicari, vel ore proferri, ipsi sit accidentiarum in suā essentiā consideratum, præcisus istis accidentib; quorundam mentis, tautum sit *euangelium* seu internum & mentale, quid ergo illorū *vocale verbum*?

15. Cum uno iotā, dictione vel phrasī mutatā, vel expunctā, vel omisā, sapē tota sententia mutetur, an non ipsa verborum genuina & legitima SIGNIFICATIO Verbi scripti & praedicati essentiam ingrediatur?

16. An non propriè loquendo sensus significatus (seu ipsum ὄχημα) sit verbum Mētus, cui declarando & manifestando verba significantia & literarum appositi combinatarum series, inventio sive humana, sive divino disposita, subserviant?

17. An audiens Verba significantia ex Scripturis prælecta concipiatur sensum verborum *activè*, vel suscipiendo verum sensum impressione verborum ab extra *saltē* patiatur.

18. Si audiens vel legens impressiōē verborum ab extra tantum patiatur receptionem veri *vōnusq; & sensus in intellectu*; An non intellectus ignobilior erit potentia Auditu & Visu? Auditus enim audiens, & visus videntes *actiones suas intra se exercunt immanentes*. Quod si ergo intellectus intelligens non efficit suam intellectiōē & *reīnū ab intra*; sed tantum patiatur *vōnusq; illusionem ab extra*, uti certae effigies aliqua imprimitor; intellectus profecto Visu & Auditu inferior potentia erit.

19. Si vero intellectus ponderans verborum significatiōē parit & efficit intra se verum sensum scripturarum, an non verus scripturarum sensus in intellectu humano & ab intellectu humano producatur?

20. Ita intellectus actio, cum sit *immanens*, terminum à quo & ad quem in ipso intellectu habens, queritur, quomodo verum sit, quod per scripturam vel etiam concionatorem ab extra efficiē producatur?

21. Deinde cum intellectus versans circa scripturas cognoscendas triplicem edat actionem. 1. Terminotum simplicium apprehensionem; puta, *Io Christus*, quid significet. 2. Terminus simplicium compositionem, vel divisionem; puta, *Christus est DEUS*, vel non est DEUS. 3. Syllogismum unum ex altero inferendo & judicio inito concludendo; puta, Ergo est adorandus: *Queritur*; An istas actiones scriptura vel concionator ab extra inferat efficiendo, quā de re supra: *Vel*; An intellectus illarum operationum causa interna & efficiens maneat.

22. An intellectus literalem & historicum sensum collatiōē dictorum, que sit mentis agitatione eruturus, intra se ipsum potens sit intelligere historiam & sensum literalem solis humanis viribus & lumine intellectui. Voluntati & memorie naturali; *Vel*, cū vires & internum lumen intellectui. Voluntati & potentie imaginatrici congenitum in omnibus & singulis hominib⁹ pari gradu radios suos non vibrent, queritur, an non à parte intellectus, Spi-

Spiritus Sancti supernaturalis requiratur gratia sive auxilium,  
quod non est scriptura seu sensus scripturæ, sed ad hunc elicien-  
dum cum mente concurrens & operans.

23. Deinde cum aliud sit Textum scripturæ intelligere, aliud  
verò eidem Textui credere ( nam & Iudæus hæc verba audiens :  
Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret &c. para-  
graphum hunc intelligit, vel audiens ejus explicationem potest  
intelligere ; attamen eidem non credit, verè scilicet rem sece  
habere, ut verba sonant ) Queritur ; An non ad fidem hanc in  
mente generandam, ut ut adhuc sit historica, præter scripturam  
loquientem vis aliqua supernaturalis persuadens & intellectum, ut  
fidem intra se pariat, determinans, sit necessaria.

24. Præterea, cum fides salvifica sit  $\tau\alpha\lambda\gamma\phi\phi\zeta\iota$  seu certa fidu-  
cia non tantum Veritatem propositionis seu enunciationis ( puta ,  
Christus est nostra justitia ) sed & veritatem rei ( puta , Christum  
justitiam nostram ) apprehendens & cordi uniens ; Queritur ,  
An nulla alia vis & efficacia à parte intellectus desideretur ,  
quam quæ à scriptura vel à verbo lecto ab extra communicatur .

25. Virtus illa fidem salvificam generans & exerens, in quo  
sit subjectio, an subjectivè & inhaesivè in suis Bibliis, an verò in Spi-  
ritu Sancto, vel in homine nondum regenito.

26. In homine, quæ nondum regenito, naturâ virtus illa non  
est, secus Pelagi error obtineret, & viribus humanis adscribe-  
retur, quod divinæ est Gratia. In Biblijs multò minus est, nisi li-  
teris & verbis magicam vim velimus attribuere ; In DEO ergò  
tantum illam esse videtur concludi.

27. Cum Virtus illa in Deo sit & tamen homini communice-  
tur, ut illa cooperante credat; queritur, quomodo virtus DEI fiat  
hominis ( 1. ) An transfusione, ita ut in Deo non maneat ? quod  
āmōv; ( 2. ) An unione essentiali & personali, quod æquè absolum;  
( 3. ) An verò unione & communione grattosâ, ita quidem, ut, quod  
DEI est essentialiter, hominis sit per gratiam, ut radij solares sunt  
& manē Solis radij, hominis vero sunt ijdē radij, quatenq; ille  
radis Solaribus circumdatus, & ab ijsdem calefactus est. Verbo;  
Virtus illa videtur hominis esse per assistentiam gratosam; nō verò

Per essentiam. Christus enim suâ virtute operatur, cum & in homine; Uti ergo Christus & Paulus distincti sunt, licet unum sint Spiritu: ita & virtus Christi & hominis credituri sunt unum unione spirituali & mystica. Eph. I. v. 19, 20. 2. Cor. I2. v. 9.

28. Deinde, cum virtus seu potentia DEI praedicitur de Evangelio seu latere nuncio, quod propriè loquendo solam remissionem peccatorum per Christum, non verò concessionem de pœnitentiâ includere quidam aut umant, an Evangelium seu doctrina hæc de remissione peccatorum essentialiter sit virtus seu Omnipotentia DEI; si ita; an non Evangelium sit ipse Deus cui enim essentialiter competit, illud Deus est; Vel: An doctrina de Christo sit virtus DEI ovrendoxia, hoc est quod offerat, insinuet, docendo, significando & elamus Christum, qui Virtus & brachium DEI est salvans Es. 9. Es. 53. Et hanc existimo esse sententiam rectè sentientium.

29. An non multi doctrinam Evangelij habeant, & tamen Spiritum Sanctum & virtutem sanctificantem non habeant? si ita; quomodo verum sit, nunquam à verbo Spiritum Sanctum posse averti.

30. An PseudoTheologi, qui pleni sunt verbo significanti, pleni quoque sunt Christo & Spiritu Sancto significato.

31. Cum Lutherus Tom. VIII. Jhen. Germ. in Schemahymnophoras pag. 122, editionis Anno 1562. afferat: Das Buch Messie (das ist das Buch des Neuen Testaments) sehr viel besser / heiliger und herlicher / denn Moses und das Alte Testament usw. Quaeritur, an non illa epitheta (heiliger, besser, herlicher) ratione SIGNIFICATI, per utriusque Testamenti doctrinam declarati, intelligenda sint. Nam si doctrina Veteris & Novi Testamenti, quatenus doctrina est, consideretur, certè utriusque Testamenti doctrina DEUM habet authorem, & DEI verbum revealatum dicitur, ideoque hoc respectu nec magis, nec minus admittit. Quod cum ita se habeat, Quaeritur, An non, cum utraq; doctrina, Veteris videlicet & Novi legis,

legis, distincta habeat objecta. (puta, Umbram & Corp<sup>g</sup>. sacrificia  
bruta & unicum consummans sanctificandos &c.) properet  
SIGNIFICATA meliora & sanct' ora una alterā quoq<sup>d</sup> do-  
ctrinā dicatur sanctior vel melior, ita ut metonymica hic locutio  
sit concedenda. Quo consequens est, Sanctitatem & Bonitatem  
realem in SIGNIFICATO (scilicet Christo) fide appre-  
hendi, non verò doctrina enuncianti inherere; cum multi do-  
ctrinam Evangelicam habentes, neq<sup>t</sup> tamen Sanctitatem & Bo-  
nitatem realem in Christo per doctrinam significato apprechen-  
dentes, ad inferna decludantur.

32. Quaritur: An non Applicatio verbi & Receptio verbi in  
cordibus hominum solum sit actio Spiritus Sancti, & non ver-  
bi; ut applicatio vel elevatio gladij non est à gladio, sed ab uten-  
te & vibrante gladium.

33. An non ergo falsum, nihil facere Spiritum Sanctum in ho-  
mine convertendo, quod verbum quoq<sup>d</sup> non faciat, ita quidem ut sē-  
per una & indistincta in utraq<sup>s</sup> causa cōjuncta sit statuēda actio.

34. Quaritur: An non velle audire verbum & quidem at-  
tentè audire & fructuosè meditari verbum, actiones siq<sup>t</sup> Spiritus  
Sancti & hominis unā operatis non verò verbi, sed circa verbum.

35. An verum sit, VERBUM IN SE, EX SE, & PER  
SE converttere virtute congenitā.

36. An verbo DEI ante usum virtus vivificans, ut pharma-  
co us sanans sit inclusa, ut essentiali prædicatione de verbo  
prædiceatur, & ubi illud verbum?

37. An Spiritus Sanctus in homine convertendo nihil ver-  
bo superaddat, sed omnia jam ante usum, quæ ad hominem con-  
vertendum requiruntur, Verbo indiderit & communicarit:

38. Unde ergo Spiritus Sanctus Causa principalis conver-  
sionis appelletur, si nullus ab illo influxus sit, vel, quomodo ver-  
bum Causa organica possit dici, cum omnia IN SE & PER  
SE requisita ad agendum possideat, quæ causam principalem  
manifestant.

39. An non necessarium, respectu Spiritus Sancti, & scripturæ  
operantis, primo & posterius natura sit assūendum, cum cōversio  
sit

*Et actio libera & voluntaria, qua libertate Arbitrij, Voluntatis & Iudicij Scriptura destituitur, ut pote, qua ratione & voluntate careat.*

40. *Præterea cum Spiritus S. suā virtutem conjungat Versus, ut hoc possit convertere, Quæritur, VBI illa fiat conjunctio? an in libro vel in mente & voluntate hominis convertendi?*

41. *An Spiritus S. tantum per Scripturam seu verbum prædicatum influat in mentem, ita quidem, ut nulla actio, nullus influxus, nulla illuminatio activa in mentem & voluntatem hominis convertendi, illuminandi suavi, mirabili & ineffabili interno & occulto modo menti & voluntati hominis illabatur, dum legit & ponderat scripturas, vel etiam orat, jejunat, & carnis affectus dominat, ut scripturam per scripturam salvificè cognoscere, & quæ salutis & fidei regenerantis sunt, capere possit.*

42. *An qui Textum Scripturæ legit, & verum sensum per Spiritum S. non capit, verè tamen verbum DEI habere & possidere dicendus sit.*

